

simus. Quomodo enim potest justus esse, qui studet eripere alteri, quod sibi quaerat? Potentiae quoque cupiditas, formam justitiae virilem effoeminat? Quomodo enim potest pro aliis intervenire, qui alios sibi subjicere conatur; et infirmo adversus potentes opem ferre, qui ipse gravem libertati affectat potentiam?

#### JUSTITIAM ET FIDEM ETIAM EXHIBENDAM.

Quanta autem justitia sit, ex hoc intelligi potest, quod nec locis, nec personis, nec temporibus excipitur, quae etiam hostibus reservatur: ut si constitutus sit cum hoste aut locus aut dies praelio, adversus justitiam putetur aut loco praevire, aut tempore. Interest enim utrum aliquis pugna aliqua et conflictu gravi capiatur, an superiore gratia, vel aliquo eventu. Siquidem vehementioribus hostibus et infidis, et his, qui amplius laeserint, vehementior refertur ultio: ut de Madianitis, qui per mulieres suas plerosque peccare fecerant ex plebe Judaeorum, unde et Dei in populum patrum iracundia effusa est.<sup>1)</sup> Et ideo factum est, ut nullum Moyses victor superesse pateretur. Gabaonitas autem, qui fraude magis quam bello tentaverant plebem patrum, non expugnaret Jesus<sup>2)</sup>; sed conditionis impositae afficeret injuria: Syros vero Helisaeus, quos obsidentes in civitatem duxerat, momentanea caecitate percussos, cum quo ingrederentur videre non possent, volenti regi Israël percutere non acquiesceret, dicens: Non percuties quos non captivasti in lancea et in gladio tuo: pone eis panem et aquam, ut manducent et bibant et remittantur, et eant ad dominum suum:<sup>3)</sup> ut humanitate provocati gratiam repraesentarent. Denique postea in terram Israël venire piratae Syriae destiterunt. Si ergo in bello justitia valet, quanto magis in pace servanda est? Et hanc gratiam Propheta his detulit, qui ad eum corripit—

1) Num. 31. 2) Jos. 9. 3) 4 Reg. 6.